



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

12 Benedictio novarum frugum ex ritu antiquo fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

fimo ritu, ut trad. S. Ambros. in sermone de mysterio Pasche, c. 5. & Conc. Tolet. 4. c. 8.

12. Benedictio ꝑ novarum frugum ex ritu antiquo à presbyteris fiebat, ut apud sanctum Hieronymum in Ezechielem, c. 24. ubi primitiæ ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus novarum frugum, nisi quòd sacerdos ante gustaverit, hoc autem facimus, ut reponat sacerdos oblationem nostram in domo sua, sive ut ad prædicationem suam Dominus benedicat domibus nostris. grandis est dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccaverint, & Genebrard. in Psalm: 150. nu. 4. ait, Videmus, Apostolos retinuisse dedicationes, templa, choros, vota, aquam lustralè, benedictiones sacerdotum, vestes, genuflexiones, ordines ecclesiasticos, decimas, primitias, processiones, visitationes sacrarum ædium, & locorum, manuum expansiones, festa Pentecostes, Paschatis, sublato victimarum usu, quæ per Christi cruorem abrogata sunt, & de pluribus aliis benedictionibus ex ritu antiquo tradit Marfil. in ead. sec. 2. cap. 2. nu. 7. usque ad num. 27.

13. Sacerdotes inter alia ꝑ benedicunt aquas sale conspersas, cujus benedictionis institutor fuit S. Matthæus Apostolus, & Evangelista, ut refert S. Clemens Romanus in lib. 8. Apostolicarum constitutionum, cap. 35. & Franc. Turia. in sua translatione, cap. 29. tradit de aqua, & oleo: Ego Matthæus constituo, ut benedicat Episcopus aquam, aut oleum; sin verò non aderit, benedicat presbyter. præserte diacono. Cùm autem Episcopus aderit, assistant presbyter, & diaconus: dicat autem in hunc modum, Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & olei

largitor, miserator, & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum, & ablendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum, ex nomine ejus, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, & expellendi insidias, per Christum spem nostram, cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac sancto Spiritu in sæcula. Amen. Marfil sec. 2. cap. 2. nu. 49, 50, 51, & 54. & fuit postea constitutio Matthæi innovata, ut constat ex epistola S. Alexandri Rom. Pont. mart. ejus nominis primi, & à beato Petro quinti, qui ita scripsit, aquam, sale conspersam populis benedicimus, ut eam cuncti asperiti sanctificentur, & purificentur: quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam, si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mandabat, multò magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata. Et, si sale asperso per Elitæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratum sal sterilitatem rerum auferret humanarum? Coinquinatos enim sanctificat, mundat, purgat, cætera bona multiplicat, insidiasque diaboli avertit, & à phantasmatum virtutis homines defendit, ut in epist. 1. quam scripsit omnibus orthodoxis, ut in tomo 1. cons. 1. & 5. & cap. aquam sale, de consecr. dist. 3.

14. Conficitur ꝑ aqua benedicta per septem invocationes mysticas divini nominis. Prima est, Adjutorium nostrum. Secunda: Exorcizo te creatura salis. Tertia, Invocamus te Domine. Quarta, Exorcizo te creatura aquæ. Quinta dum dicitur, qui ad salutem humani generis. Sexta, Cùm sal

in.